



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jacobi Alvarez de Paz Opera**

De Exterminatione Mali, Et Promotione boni - Libri quinque

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Lvgdvni, 1613**

Quæ iuvent adseruandæ regulæ. Cap. 11.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77843](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77843)

Isaie 29.  
14.  
1. Cor. I.  
19.

lum pugnent, istum defendant: illum improbent, istum approbent: ab illo censuram iudicandi, quid exequendum sit, adimant, isti concedant. Vt illud impleamus, quod in Isaia scriptum est, & à Paulo paucis immutatis adductum: Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentium reprobo.] Sic enim secundum regulam simpliciter intellectam viuentes, falsam sapientiam carnalium hominum, & indoctam prudentiam mundi damnamus: & veram sapientiam Dei ac prudentiam spiritus subdimur.

Postremo loco, perseverantiam admonemur illis verbis: Scribesque ea in limine, & ostiis domus tuae.] Sed quomodo hic perseverantia significetur, excipe. Verba per aera feruntur, & statim ac prolata sunt evanescent: sensus vero nostri, qui litteris scribuntur, longo temporis spacio perdurant. Adhuc eorum, quae litteris explicata sunt, quaedam in papyro, siue membrana scribuntur, quaedam lapidibus inciduntur & in dura materia, quae facile rumpi, aut destrui non possit, exarantur, nec dubium est, quin haec longissimo tempore perseverent. Postes autem, ac limina domus lapidea aut lateritia esse solent, ostia vero lignea & ferrea: quid ergo erit, mandata Domini in limine & ostiis scribere, nisi in eorum observatione constanter usque ad mortem perdurare? Immo & alia ratione hic perseverantia mandatur. Nam limen & ostium est, quo domum ad habitandum intramus, & domo ad vicos & plateas civitatis egredimur, vnde ingressum & egressum, principium ac finem vitae designat. Quid igitur erit, verba Dei in limine & ostiis scribere, nisi ab eorum observatione conversionem nostram incipere, & eam usque ad egressum ex hac vita protelare? In quo non pauci taxamur, qui post aliquot vitae religiosae annos elapsos privilegia & exemptiones quaerimus, & iugum observantiae leve sine viginti causa derelinquimus. Sed usque ad finem vitae perseverandum esset, & nequaquam à cruce discedendum, ut Christi imitatores, qui nunquam in animum induxit à cruce descendere, ac eius milites pronuntiemur. Certè peccatores sunt plurimi, qui ad extremum usque spiritum in eodem tenore peccatorum perseverant, aut quo magis ad mortem appropinquant, feruentius peccant: qui & in lapidibus, & in duriori materia peccata sua scribunt, iuxta illud, quod legimus in Ieremia: Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo, in vngue adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum, & in cornibus ararum eorum.] Vbi vnguis adamantinus, & cornua ararum lapidearum, cor durum est, quod indelebiter peccata suscipit, nec punitione castigatum, nec beneficiis affectum, à peccato discedit. Sint ergo iusti plurimi, qui studiosa opera quasi stylo ferreo in vngue adamantino scribant, & lapidibus insculpant, ut nullis temporis iniuriis deleantur. Sic voluit sanctus Iob sermones suos, id est, innocentiae & patientiae opera, in perpetuum scribi, ut sicut ipse iustificationem, quam cepit tenere, nunquam deseruit; ita eius memoria nullo tempore ab hominibus deseratur. Quis mihi tribuat, inquit, ut scribantur sermones mei? Quis mihi det ut exarentur in libro stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte, (id est, celo, quo artifices lapides scalpunt) insculpantur in silice? ] Sanctum desiderium, & à Deo cordi Iobi immisum, ab ipso Deo impletum est, & in scriptura sua, quae supra omnes plumbi laminas & durissimas scilices perdurabit, huius sancti viri voluit actiones passionisque conscribi.

A Ex quo iusti discant quòd si in virtutis actionibus perseveraverint, adhuc in libro, qui amplius daret, quia post finem mundi per aeternitatem peritabit, nempe in libro vitae, conscribentur. Non igitur, o homo, ventiles te in omnem ventum, & non eas in omnem viam: sic enim omnis peccator probatur in duplici lingua.] Ne cuius occasione te accommodes, & nunc moribus secularis, nunc religiosus videaris. Ne idioma mutes (quod proprium iniquorum est) & nunc veritatem, postea vero vanitate collaudes. Sed esto firmus in via Domini, & in veritate sensus tui, & scientia, & prosequatur te verbum pacis, & iustitiae. ] Scribe verba Domini in limine, & in ostiis domus tuae; & sicut vitam religiosam accipiens districtam assumpsisti disciplinae censuram: ita ab ea ad meliorem vitam exiens eandem disciplinam proficere non desinas. Praemium namque, non incipientibus, sed perseverantibus, promissum est. Nam & ista verba sunt Pauli: Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote & immobiles, abundantes in opere Domini semper: scientes quòd labor vester non est inanis in Domino.] Quod autem apud Deum inane non est, absque dubio plenum misericordiarum est.

B Documenta ergo regulae, ac professionis nostrae, ardentem amanda, fideliter conservanda, attentè meditanda, integre attendere complenda, promagno honore habenda, & in regulam vitae accipienda, & usque ad finem vitae custodienda. Et vigemus nosmetipsos, ne si à perfectione exciderimus, perdamus, quae operati sumus, sed potius perseverantes mercedem plenam accipiamus.

C

*Quae iuvent ad servandam Regulam.*

CAPVT XI.



VSTODIA regulae tanti momenti est ad virtutes inferendas, ut necesse sit in re tam utili adhuc tantisper immorari, & praeter ea quae dicta sunt, aliqua documenta, quae faciliorem hanc observantiam reddant, breui sermone praescribere. Res enim magnae non facili negotio fiunt, nisi aptis mediis prouehantur. Et districta custodia disciplinae res magna & operosa est, quam multi diligenter accipiant, sed non multi sine intermissione usque ad finem vitae suscipiant. Nunc igitur videamus, & ad numerum nonnulla documenta reuocemus, quae valeant nos in re tanta iuuare.

Regulam professionis tuae frequenter legas, & quia antea saepe tibi perspecta fuit, non propterea eam euoluere iterum atque iterum praetermittas. Alicuius artis peritus, si eam diligenter exerceat, nunc omnia eius artis instrumenta, nunc ista, nunc illa attentè perlustrat, ne, cum opus fuerit ad usum adducere, ea fracta, aut diruta, aut rubigine obducta reperiat. Et regulae, instrumenta sunt artis tuae, quam profiteus, & qua non aurum aut argentum, sed caelestia regna lucraris. Nunc ergo omnes confideta, nunc istas, nunc illas examina, ne tempore necessitatis obliuioni datas ad opus tuus minus aptas inuenias. Nauclerus non semel tantum, sed saepe membranam illam inspicit, in qua & occulta pericula, & latentes scopulos, & cursus navigationis antea descripserat. Et tu in coelum enauigas, & regula pro nauicularia, seu arte nauigandi tibi concessa est; saepe in eam oculos iniice, ut pericula spiritalis vitae scias, &

Ecl. 5.  
11.

ib. n. 12.

1. Cor. 15  
58.

I.

Ier. 17.  
1.

Iob. 27.  
6.

Iob. 19.  
24.

viam tenendam agnoscas. Cogita regulam esse quasi archetypum perfectionis; & sicut sapiens architectus, illum frequenter evolvit, ut iuxta id, quod precipit, perfectionis templum in intimis cordis edifices. Si Deus, cum pium codicem legis, ad omnium utilitatem scriptum, tecum loquitur, ut Augustinus ait, quanto magis tecum loquetur, cum legis, non ad omnes scriptam, sed ad te, & ad tui instituti professores specialiter exaratam regulam? Quis Deum sibi specialiter loquentem non audiat? Quis verba sapientia sibi proposita, & suae necessitati accommodata, non libenter excipiat? Considerabam ego pios libros res spirituales caelestesque tractantes, esse quasi epistolam regis ad vniuersos suos subditos missam: regulam vero esse velut epistolam regis, ad me specialiter destinatam, quia quid me facere oporteat, clare & aperte proponit. Si igitur sollicitus sum in legendis litteris communibus, & ad alios datis; cur litteras ad me missas non legam? Cur monita ad meam professionem attententia praetermittam? Haec legem Dei, quam seruaturus sum, continent, & compunctionem, & ardentissima desideria perfectionis excusitant. Helcias sacerdos reperit in templo Deuteronomium, hominum illius temporis incuria perditum, quod cum ex ore Saphan scribae audisset rex Iozias, scidit vestimenta sua, & compunctus ait: Magna ira Domini successa est contra nos, quia non audierunt patres nostri verba libri huius, ut facerent omne, quod scriptum est nobis. Sic profus cum legimus libellum legis, nobis imposita, & quam tepide illam seruauerimus, aduertimus: non vestimenta, sed corda scindimus, & de vita nostra imperfecta compungimur. Haec lectio nos animat, atque confirmat, ut quae legimus, actioni mandemus. Lectus est semel tempore Esdrae, liber legis Domini distincte & aperte ad intelligendum; & fleuit omnis populus, ac mulieres alienigenas, quas contra praecipitum legis duxerant, proiecerunt, necnon & festa intermissa celebrarunt. Eodem modo liber regulae, a nobis lectus, nos roborat, & ad prohibita relinquenda & iussa complenda confortat. Merito ergo nobis praecipitum est, ut regulam frequenter legamus, quia haec lectio incitamentum est meditationis, meditatio vero studiose actionis origo.

Aug. ad Psal. 75.

4. Reg. 21. 13.

2. Esdrae 8. 8. 9.

II.

Prov. 21. 29.

Ps. 2. 12.

Bern. lib. de praecip. & de spec. c. 16

Pro culpis, licet leuioribus, in obseruatione regulae admissis reipsum aliquando castiga, interdum etiam a Praelato pro his defectibus iniungi tibi poenitentias pete, & ab ipso pro ratione sui officij iniunctas libenter suscipe. Vir impius, ait Salomon, procaciter obfirmat vultum suum; qui autem rectus est, corrigit viam suam. Quamobrem si rectitudinem colis, viam tuam, id est, vitam, ac opera tua corrigas, necesse est. Non sufficit autem ad correctionem, opera praepostera in melius mutare, nisi illa priora detestatione delectantur, & debita castigatione puniantur. Regibus etiam, id est, iustis dictum est: Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus: qui ille non tam irascitur delinquenti, quam post delictum, correctionis disciplinam fugienti. Sic homo dum pro transgressione regulae seipsum corripit, quasi in nullo regulae limites excedit. Pulchre enim dixit Bernardus: Patientia est proinde nobis in duo vniuersa haec obseruatio regularis; in praecipita videlicet & remedia. Praecipitum instituitur vita contra peccatum, remediis restituitur post peccatum innocentia. Sic ergo vtraque ista complectitur nostra professio, ut professus quisque cum in aliquo forte regularium mandatorum deliquerit, si ad remedium aequae regulae confugerit, & si conuincitur transgressor mandati, non

tamen pacti praericator. Solum itaque censuram fregisse votum, violasse propositum, pactum praerualisse, qui & praecipitum contempserit, & remedium. Nam illum sane dico securum, qui etiam si interdum obedientiae limitem praeterit, consilium non respuit poenitentiae. Regulares namque terminos, etiam saepe deliquerit, non euadit, qui censura, quae ex regula est, disciplinam non subterfugit. Pars siquidem regulae est, regularis correctio, & in ea reperitur non solum bonae vitae instructio, sed etiam emendatio prauae. Inueniuntur in ea & praecipita obedientiae, & inobedientiae remedia, ut ne peccando quidem a regula recedatur. Nec sufficit, si nos ipsos corrigamus nisi etiam & a Praelato corrigi & castigari postulemus. Nam hominem seipsum corrigere, aequitatis est, ab alio vero velle corrigi, humilitatis, dum culpam fatetur, & quasi sub manu heri humiliatur. Et certe vulnera corporis cupimus ab aliis curari, & pro sanitate carnis adipiscenda, sustinemus a chirurgo secari, & vri, & non modicis cruciatibus torqueri: quare multum erit si pro animae salute tuenda, eadem, aut potius mitiora a Praelatis patiamur, & ad eorum arbitrium castigemur? Haec quidem ratio Basilio efficacissima visa est, ut nos ad correctionem admittendam persuadeat, cuius haec est sententia grauissima: Eorum, quibus medicina fit, partes existimari debent, antistitius in se animaduersiones, non ad odium accipere, neque impotentem dominationem existimare curationem eam, quam misericordia quis adductus, consulendi causa animae ipsorum saluti, ipsis adhibeat. Esset enim a decore abhorrens, si cum qui aduersa corporis valetudine laborant, ii vsque adeo magnam medicis suis fidem habeant, ut esto, ipsos secent, esto, vrant, esto, amarissimis dandis medicamentis medeantur, nihilominus tamen inter benemeritos de se illos numerent: nos non itidem quoque aduersus animarum nostrarum medicos, quandocumque duriore imponenda nobis re aliqua, salutem nobis efficiunt; fuerimus animati: cum Apostolus dicat: Et quis est, qui me latificat, nisi, qui contristatur ex me? Haec profecto spontanea correptionis susceptio, iudicium animae sicutis salutem est, cum omnia necessaria ad salutem admittat. Nam & seipsum prout potest, per voluntariam castigationem curat, & quia minus ad hoc sufficiens est, curari a medico non detrectat. Est quoque signum iustitiae, cum iustitia huius vitae, non sit nunquam vel leuiter delinquere, sed a delicto fugere, & illud steribus & admissis correctionibus expiare. De iustoque scriptum est: Aperiet os suum in oratione, & pro delictis suis deprecabitur: ut sciamus in exilio isto iustitiam non eo vsque progredi, ut nunquam peccet, sed vt nunquam in delictis perseueret. Hanc autem sponte susceptam correptionem, esse insigne iustitiae, sicut & eius odium iudicium iniquitatis, docet Gregorius in hunc modum: Sicut recti de quibusdam, quae ab eis non recte gesta sunt, correptionis vocem, ministerium charitatis aestimant: sic peruersi contumeliam derisionis putant. Illi se protinus ad obedientiam sternunt, isti ad insaniam suae defensionis eriguntur. Illi correptionis adiutorium vitae suae patrocinium deputant, per quod, dum praesentis vitij culpa corripitur, venturi iudicis iram temperatur. Isti cum se imperi redargutione conspiciunt, gladium percussione credunt; quia dum per correptionis vocem culpa detegitur, praesentis gloriae opinio sedatur. Hinc quippe in laudera iusti per Salomonem dicit veritas: Doce iustum,

Basili. reg. sicuti disp. 12.

Ecc. 39. 7.

Greg. li. 10. mor. 63.

stum,

De B. Tom

stum, & festinabit accipere. Hinc pravorum contumaciam despicit, dicens: Qui erudit derisorem, ipse sibi facit iniuriam. ] Non ergo contemptui habeamus hoc iustitiae & puritatis indicium, sed tum nos ipsos pro admisis tanquam severi propriarum animarum paedagogi corripimus: tum quasi infantes non aetate, sed innocentia, & lenitate correptionem a Praelatis impositam minime refutemus. Sic iustus Ezechias humiliter & mansuetè correptionem suscepit. Audita namque calamitate in suum regnum progeniè quæ venturam, ad Isaiam ita respondit: Bonus sermo Domini, quem locutus es, sit pax, & veritas in diebus meis. ] E contra verò Saul, imago reproborum, correptionem admittere noluit, quin & in tantam insaniam lapsus est, vt non solum sustineri à Samuele, sed & honore affici postulauerit. Porta, ait, quæso peccatum meum. ] Et postea: Sed nunc honora me coram senioribus populi, & coram Isracl. ] Tu istius procacitatem fuge, & illius humilitatem amplectere, & correptionem Praelati, vt debita culparum exoluas, & iustior fias, libenter admitte.

4. Reg. 20. 19.

1. Reg. 15. 230.

III.

Vniuersa, quæ à regula, aut mandata, aut statuta sunt, magni momenti aestima, siue ipsa magna sint, siue parua, quoniam hæc consideratio faciet, vt ea seruate non prætermittas. Si ea magni momenti sint, vt ea, quæ ad vota religiosa, & ad præcepta grauiora pertinent, quis non videat esse seruanda, sine quorum custodia religiosus minime salutem accipiet? Si autem parua sint, eo ipso turpius transgrediuntur, quo facilius & suauis seruantur. Quod pulchrè annotauit Augustinus, obedientiam Abraham, & inobediètiã Adæ adinuicem conferens: Sicut Abraham, inquit, non immeritò magna obedientia prædicatur, quia vt occideret filium res difficillima est imperata: ita & in Paradiso tanto maior inobediètia fuit, quanto id quod præceptum est, nullius difficultatis fuit. ] Quodammodo ergo, o religiose, tanto magis inobediens, quanto res iussa minor & facilius est. Et si minima & facilia præteris, nescio quomodo magna custodies. Si ouum stomacho ingestum non digeris, quo pacto bouem decoques? Si ventum sonantem times, quomodo gladium ferientem contemnes? Si verbum minus suauis non sustines, quamam ratione grandem contumeliam sustinebis? Sic prorsus, si non assuescis minora seruare, difficile tibi erit, maiora & grauiora custodire. Omnia itaque ad religiosam vitam pertinentia, tum magna, tum parua, multi momenti sunt, quia magna secum obligationem afferunt, & pœnam ingentem inferunt, parua verò pro muro maioribus præceptis sunt, atque ipsorum securitati deseruiunt. Quare si animæ salutem cupis, & ad perfectionem anhelas, magna & parua custodire non cesses.

Aug. 14. de ciuit. c. 15. +

IV.

Illos suspice, illos dilige, illi te associa, quos videris contemptores sæculi, sectatores virtutis, amatores disciplinae. Magna est exempli ad persuadendum efficacitas, & valida vox vitæ intaminatæ, cuius aspectu ad bona, quæ videris, imitanda pertraheris. Et perfectorum, aut proficientium societas te in suum gremium nõ admittet, si ipsorum mores non imitère. Quare dum seruidos, & perfectos amicos, ac familiares habes, aut tibi eorum vita optima imitanda est, aut ab eorum consortio declinandum. Hunc autem esse fructum societatis bonorum, docet Bernardus sic ad sororem scribens: Qui sancto viro associatus fuerit, ex eius societate accipiet vsu bonæ locutionis, & exemplum boni operis, vt accendatur mens eius de die in diem in amore Dei. ] Amor quidem Domini nos ad id, quod sanctum est & per-

Bern. ser. 60. ad sororem.

Afectum, impellit, & quicquid perfectum est mandatum à regula, bona actione ac loquutione continetur. Vnde si societate bonorum ad hæc præstantia permouemur, vtrique ad disciplinæ custodiam inuitamur. Sed luculentius hoc exponit Ambrosius, cuius hæc sunt verba notanda. Non sequamur illecebrosa & seductoria, sed sequamur illud, quod bonum est, illi adhæreamus, illud imitemur, illius præsentia, illius communicatio nos meliores faciat, mores nostros coloret, illius quædam nos societas informet. Qui enim bono adhæret, assumit inde quod bonum est, quia scriptum est: Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruersus eris, & cum innocente innocens eris. ] Assiduitate enim atque imitatione quædam similitudinis imago informatur. Ideoque addidit: Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine. ] Etenim qui appropinquat luminis, citius illuminatur, & plus in eo splendor æterni luminis refulget è proximo. ] Exequere igitur illud Ecclesiastici, si te Dei timore affectum exultimas: Qui timet Dominum æquè habebit amicitiam bonam, quoniam secundum illum erit amicus illius. ] Et socios atque amicos, Deum timentes, & professionem suam seruantes inquire, à quibus, cum à via exorbitaueris, reuoceris; cum segniter ambulaueris, inciteris; & cum celeriter progressus fueris, eorum exemplo ad perseverantiam moueris. E contra verò, si à fratribus inordinatis non te subtrahas, difficulter in bono incepto persistes. Sicut enim facile est, rectè ambulare cum bonis; ita difficile & laboriosum est inter malos aut tepidos, disciplinam strictè tenere, & non ad eorum imitationem declinare. Meritoque populo suo mandauit Dominus: Ne in eas pactum cum hominibus illarum regionum; ne cum fornicati fuerint cum diis suis, & adorauerint simulachra eorum, vocet te quispiam, vt comedas de immolatis. ] Quibus verbis non solum Israelitas docuit, sed & nos atque omnes erudiuit, vt si incepto durare volumus, eorum, qui alieni sunt propositi & vitæ, amicitias deseramus.

Amb. lib. de bono mor. c. 9. fo. 1.

Psal. 17. 26.

n. 29.

Ecl. 7. 17.

Sed efficacissimum remedium est vt obseruantiam regularem iam tandem incipias diligenter custodire, & segnicie pristina relicta, ad solitam assuescas curam perfectionis transire. Obseruatio enim ac custodia disciplinae, non cognitione, sed exercitatione discitur, & operum assiduitate prouehitur. Deus nunquam cessat te beneficiis afficere, & diuitiis caelestibus cumulare, cur tu eius iussa facere, & eius voluntati obedire cunctaberis? An nescis, quia beneficia recipis, vt tu illis proficias, & talis fias, vt aliis quoque possis proficere? Id certè ex Laurentio Iustiano poteris discere. Diuidit, inquit, ipse spiritus dona sua, non vt lateant, non vt sine fructu sint, sed vt erogata proximis lucrifaciant possidentes. Proinde graui periculo se ingerunt, qui Dei munera suscipientes, nullum ex eis fructum ad Dei gloriam elicere studuerint. Rationem etenim positurus Dominus cum seruis suis, fidelibus & sollicitis tribuet perennes honores; infidelibus verò & tepidis immensa supplicia. Ad hoc namque communicat sua beneficia, vt multiplicentur ad profectum eorum, quibus donantur, & non ipsius. Bonorum enim mortalium non eget Dominus, cui cuncta ad votum suppetunt, & voluisse perfecisse est. ] Mater tua, religio sancta, quæ te, spiritu sancto generante, concepit, quæ te aluit, & educavit, quæ te à malis protexit, & in bonis erudiuit, sermonibus illis ad disciplinæ obseruantiam inuitat, quibus illa septem Machabæorum mater pia postremum è filis suis ad mortem, pro patris legibus sustinendam, al-

Exod. 34. 15.

V.

D

E

Iust. prologo de disciplina monach. conuersat.

7. Mach.  
7.28.

lexit: Fili mi, ait, miserere mei, quia te nouem mensibus in utero portavi, & lac triennio dedi, & in aetatem istam perduxi. Et post pauca: Dignus fratribus tuis, effectus particeps, suscipe mortem; ut in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam. Mater haec nostra, sicut & illa, misericordiam a nobis filiis suis postulat, & labores nostri causa susceptos obiciens postulat; quia nostram tepiditatem, nostra detrimenta propriam miseriam existimat. Ad mortem hortatur, ad illam quidem castorum mortem, qua saeculo & vitiiis motimur, ut Deo in perpetuum & iustitiae viuamus. Fratres nostros imitandos proponit, illos profecto, quos ex custodia disciplina; ex actione virtutis, ex amore perfectionis felices iudicamus, & cum Deo regnare conuicimus. Quis matrem & talem matrem non audiat? Quis tales fratres assequi, & cum eis semper laetari non concupiscat? Audies igitur, o frater, hanc matrem tuam, si eius monita & hortamenta suspicias: obediens, si regulam te sollicitum obseruatorem exhibeas: assequeris fratres tuos, qui praecesserunt te, si in virtutis itinere eorum vestigiis inhaereas. Eorum vita, via virtutis est, eorum opera, virtutum fuerunt opera & sanctitatis exempla. Si cupis arcem virtutis tenere, & virtutum possessor euadere, ipsorum vitam sequere, & actus imitari handquaquam praetermittas. Hoc autem postremum, sed praecipuum instrumentum assequenda virtutis est, quia, qui sanctorum vitam fuerit imitatus, sicut non poterit seruus esse vitiorum, ita nec ditissima possessione virtutum orbari.

*Summa Instrumentorum assequenda  
Virtutis.*

CAPVT XII.



**D**UODECIM instrumenta ad virtutes obtinendas inuenimus; quae, quia late exposita sunt, libuit in fine huius tractationis breuiter summariq; perstringere, ut labili memoriae consulamus.

Primum ergo instrumentum assequenda virtutis, est cognitio ipsius virtutis; ut scilicet vir iustus, virtutis audis, eius naturam, quam possidere cupit, agnoscat, incitamenta consideret, & actus mente comprehendat. Secundum est, aestimatio virtutis, ut nepe virtus quanti valoris sit, sciat, & ea supra omnes dititias huius sa-

**A**culi, supra omnes voluptates, & honores, & supra alia dona, quae hominem solum coram aliis honorabilem faciunt, appetret. Tertium est, postulatio virtutis, ut nimirum illam iustus a datore virtutum, qui non est alius, quam Deus, feruenter & humiliter postulet, a quo omne datum optimum, omnique donum perfectum descendit. Quartum est, diffidentia sui, ac firma spes in Deo, ac in praesidiis caelestibus collocata, qua quis in hoc negotio adipiscendarum virtutum, de suis viribus omnino diffidat, & in diuina misericordia atque in eius gratia confidat. Quintum instrumentum, ingens desiderium virtutis, quo virtutem, quam pretiosissimam aestimauimus, & possibilem nobis ex diuina gratia cogitauimus, ardentem appetamus, ac magno conatu desideremus. Sextum est, intentio actualis operandi ex fine virtutis, qua nimirum in operibus, tum internis tum externis, virtutis quam assequi volumus, finem illius proprium respiciamus, & actu propter illum operemur. Septimum est, Robor mentis ad virtutes quaerendas, quo tentationes aduersus virtutem insurgentes, & omnia impedimenta nos remorantia, vincamus. Octauum est, cura particularis, qua ut viri prudentes, qui vires nostras angustis limitibus circatas esse cognoscimus, vnum vitium post aliud vincere, & vnam virtutem post aliam acquirere, & non simul omnes obtinere gestimus. Nonum est, exercitatio virtutis, qua virtutis cognitione, & desiderii nullo pacto contenti, eius actiones tam externas quam internas frequenter praestare curemus. Decimum est, nullam occasionem exercenda virtutis omittere, ut particula bona diei nequaquam nos praetereat, quae non est alia profecto, quam praestanda alicuius bonae actionis occasio. Vndecimum est, regularis vitae sequela; ita ut nullo modo a communibus nostri status oneribus nos subtrahamus, sed simul cum aliis fratribus ea portare, & more ipsorum viuere, gloriosum existimemus. Duodecimum instrumentum est, custodia regulae, ut nempe omnium, quae regula mandat, vniuersorumque de quibus monet, sumus diligentes obseruatores; & vita nostra non tam sit regularis, quam regula ipsa, in cordibus nostris scripta, atque in actionem deducta. Si his duodecim instrumentis, o iuste, sedulo & diligenter usus fueris, absque dubio, diuina gratia aspirante, vniuersas virtutes assequeris.